



omnibus Civitatibus & pagis in Comitatu Pifcorii, ac confinibus Jonasperez, *aliisq; locis*, ut quamprimùm hoc mandatum viderint, Judices locorum, *Varadini compareant*, feque in matriculam Noſtri Imperatoris inſcribi faciant, ut ſic protectione noſtrâ gaudere poſſint: qui verò hoc neglexerint, & mandato noſtro non paruerint, ſciant, Nos brevi ipſos ferro & igne devaſturos, ac in captivitatem abducturos: Reliquos verò, qui *omnipotentis* ac Invictiſſimi Imperatoris noſtri Tutelæ ſe ſubmittent, nullum à vobis ſentient damnum, erunq; ab omni contributione immunes, ſi ſolummodò de quâlibet domo, duos cruciferos annuatim, illasq; decimas ordinarias ſolvant, ad quas tenentur. *Omnes* igitur huic ſerio mandato ſcient obedire, ſi *ab imminentibus* ſibi periculis cupiant evadere, *Deus nobiſcum*. Dat. Varadini, 16. Martii. 1661.

§. XXXI.

Extractus litterarum de Turcico motu in Ungariâ. 3. Junii. 1661.

Nurcæ indies adhuc magno numero prope *Varadinum* conveniunt, & jam centum millia ibidem aſſeſſe ferunt, ingentiaq; præparatoria bellica conficiunt, per fluvium Bretium 3. miliaribus *Varadino* diſtanti, pontem cum maximâ feſtinatione extruunt, & uti Baſſa Civibus Beprecenſibus demandavit, pons iſte inſallibiliter, infra octo dies debet eſſe paratus, quo confecto in hæc partes cum toto exercitu pervenire ipſis vix prohibebitur. *Varadini* ſingulis diebus exſpectant Vezirium Budenſem, & Ali Baſſam Agrienſem, atque uti ſpiones recognoſcunt, putatur, quod Ali Baſſa cum ſuo exercitu per Dalmatiam contra Venetos perrecturus, Vezirius verò cum alterâ exercitus parte hiſce in partibus ſubſtituturus ſit, aliquot millia Tartarorum per Tractus Polonicos adveniunt, qui ſe cum Ali Baſſa contra Venetos conjungent, eâ de cauſâ omnibus, tam Germanis, quàm Hungaris demandatum, ut parati exiſtant, qui ſi hæc partes ingredi voluerint, omni impetu reprimentur, illud certum videtur, Turcas magnum quid moliri, cum ipſe Vezirius, & Ali Baſſa *Varadini* convenerint, & tantâ multitudine illuc confluant, an hæc partes, an verò Tranſylvaniam ſimul invaſuri ſint, tempus dabit.

§. XXXII.

Der Römische Papſt Leo VII. war ſo eiferig gegen die Türcken/ daß er auch alle von Pipino, Carolo Magno, Juſtiniano, und König Ariberto, der Kirchen geſchenckte Landſchafften/ dem Kayſer Ottoni, und ſeinen Succelloribus, zum künfftigen Türcken Krieg/ ewig übertrüge/ anno 938. welches auch die Teuſche Biſum/ ſo nur Kayſ. donationes ſeynd/ thun ſolten/ aus Danckbarkeit.

LEO Episcopus, servus servorum Dei, Ottoni, Spirituali, in Christo, filio nostro, Imperatori Augusto, & omnibus successoribus ejus, Imperatoribus, ac Italiae Regibus. Quæ D. Carolus Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanus, nec non Pipinus pater ejus, de Regalibus, rebusq; hujus Regni Italia, tribuerunt in S. Rom. Ecclesiâ, B. Petro Apostolo, sive per Instrumenta fuerunt, per Ethernium Notarium, sive per Sacramenta vel donationes, seu per alios modos obvenerunt à Justiniano (cui Narsetes contra Totilan, totam Italiam recuperaverat, etiam deinde à Friderico Barbarossa possessam) Imperatore, & Ariberto Rege: Hac omnia largimur, & diffinimus vobis, Ottoni Imperatori, & Alheidæ conjugii, Regniq; consorti (Tales nunc in domo Austriacâ, ut ex ejus Privilegiis) vestrisq; hujus Regni successoribus, in perpetuum, ad usus curia militiarum vestrarum, ad debellandum & expugnandum paganos, & contra Rebelles Romano Imperio; idque per hujus nostri authoritatem Instrumenti confirmamus, & corroboramus in perpetuum. Nam si quispiam hujus violator repertus fuerit, sive contra hoc agens, sciat se in iram B. Petri Principis Apostolorum, & nostram, nostrorumq; successorum casurum. Insuper nisi à malo resipuerit subiaceat Legi Juliae, reus læsæ Majestatis, & Reipubl. ut hi, qui contra Rempubl. vel contra Imperatoris Majestatem aliquid moliti fuerint, anima amissionem sustineant, & bona eorum publicentur. In his actis interfuere Archiepiscopi, & Episcopi Cardinales, ac omnes Regiones urbis. Scripta per manum Gregorii ArchiNotarii nostri, Datum in Patriarchio Lateranen. 3. Cal. Maii. anno sedis nostræ XI. & dicti Ottonis II. feliciter.

§. XXXIII.

Wie Carolus Magnus, und die Polen vor diesem die Türcken überwunden.

Postquam Dominus noster cruci affixus, Matrem suam moestissimam Joanni commendavit, Joannes ex illâ horâ accepit eam in sua, scilicet, bona

bona paterna, matre propriâ adhuc vivente: Sic enim plurimi Sanctorum, piâ revelatione edocti, fidei tradiderunt posteritati, quod Beata Virgo post sui filii sepulturam, deducta fuit per S. Joannem in *Jerusalem*, in domum Zebedæi, in quâ morabatur, usque ad felicissimum ejus ex hac vitâ transitum. Et hoc verificatur, quia Jerosolymis defuncta, & in valle Josaphat tumulata, mox gloriosa in cœlum, (ut D. Augustinus certis affirmat rationibus) corpore & animâ fuit assumpta.

Nec hoc prætereundum reor, quod cum illo tempore B. Dei genitrix in hac vitâ persisteret, ad eam veluti consolationem cœlestem, *plures* Neophiti Christiani, utriusque sexus, magnâ devotione divertebant, cujus aspectu & affatu confortabantur.

Historici, SS. Dionysius & Ignatius, attestantur, quod etiam multæ puellæ ac Viduæ, contemtis fugacibus mundi deliciis, ejus sacro accedente consensu, cum eâ commanere delegerunt, in sanctâ patientiâ, paupertate, & continentiâ victum ac vestitum parcum, colo, & opere textitino, conquirentes, quas S. Joannes ejusdem Virginis Capellanus, perpetuo cultui divino consecrabat.

O verè felicissimus, & Angelicus hujus Virginis familiaris, & convictus paradyso deliciosior: de quâ Dei parâ, S. Ambrosius inquit, Nil torvum in oculis, nihil asperum in verbis, tota mitis & mansueta, suavi religiositate omnibus amabilis, vixit adhuc duodecim annis, post Christi Passionem: ita ut cursum vitæ suæ compleverit, *63, annis*, post cujus felicem transitum, divinâ ordinatione facta est divisio Apostolorum, de Judæa in universum mundum.

Sed hoc admirandum, quod etsi post Ascensionem Domini ad cœlos sævissima fuit persecutio Christianorum per universam Judæam, quæ tunc incepit, quando Stephanus fuit lapidatus, Jacobus Major decollatus, Minor à fullo excerebratus, & reliqui graviter afflicti. Domus tamen illa benedicta, in qua Virgo Dei genitrix morabatur, nullam ferè, & ne minimam sensit perturbationem, quoniam, inquam, plenitudo gratiæ Dei infusa, Angelico testimonio prædicatur, plenitudo etiam divinæ pacis cum ipsâ, in ipsâ, & circa ipsam, & super ipsam semper habitavit, ita ut nec ulla sanctarum sororum secum commanentium habuerit aliquam perturbationem; Satis enim martyrii pasta fuerat Gloriosa Virgo, Christo in carne, & ipsâ in mente simul passis.

Hoc ipsum maximam adfert occasionem reverentiæ ac devotionis omnibus Christianis, fuisse enim antiquissimâ traditione audivimus in dicta Zebedæi domo, Tabulam Cypressi qua-

dratam, quæ in singulare peculium data erat per S. Joannem, B. Virg. Mariæ, ad quam ipsa benedicta, Virgo in solitaria quiete frequentius sedebat, refectionem fumendo, laborando, Scripturas Sacras legendo, contemplando: In quâ devotâ contemplatione filii sui tam dulci amore inflammabatur, quod in certis diebus, caput sanctissimum lachrymando in ipsam Tabulam demittebat, ipsam lachrymis copiosis aspergendo; sic & pro avertendâ persecutione piorum Christianorum scœpissimè faciebat. Verè beata est hæc Tabula virtutibus mirandis coruscans, quæ peculiari usui Virginis *Mariæ* est consecrata, & piis ejus lachrymis delibuta.

Factum est autem ut postquam B. Paulus cupiens dissolvi, & esse cum Christo, Jerosolymam de Græciâ navigaret, sciens se ibidem in vincula conjiciendum fore, ut Agabi propheta in domo Philippi Cæsarææ, publicè prædicebat. Act. 21. fuit B. *Lucas* comes Pauli Apostoli à Græciâ usque Cæsaræam, & tandem usque Jerosolymam, conjecto dehinc Paulo Apostolo in vincula apud Claudium Litiâ Tribunum Jerosolymis, B. Lucas non potuit Magistro suo liberè adeste, ac famulari, qui sic in custodia per biennium circiter detinebatur. Hinc per otium B. Lucas memor dulcissimæ Virginis, à quâ vitam & virtutes Christi didicit, non ignorans ejus felicem de hoc mundo transitum, oblectabatur videre illam domum, in quâ vixisset, invenitque sanctas matronas & Virgines, velut orphanas, in divinâ pace & devotione delitescens, sub illis sævisimis Ecclesiæ persecutionibus, quoniam hanc gratiam pacis & illa domus, & illud sacrum collegium, carens quidem præsentia, non tamen præsidio B. Virginis à Domino Deo meruit, ne procellas persecutionis sentiret, uti aliæ Ecclesiæ, quas Deus in magnis persecutionibus crescere voluit.

Contulit itaque B. Lucas cum illo benedicto Collegio SS. Matronarum, de felicissimo & magnifico transitu Virginis, narrantibus ipsis, ac tædium suum pœnosum, pro absentia Dei genitricis lachrymabiliter exponentibus, & supplicatibus obnixè, useis dignaretur imaginem ejusdem Sacratissimæ Virginis doctâ manu effigere, cujus aspectu, consolationem, ac devotionem ipse & posteri Christiani possent percipere. Quarum precibus annuens B. Lucas inspexit illam sacram Tabulam Cypressi, quæ pro peculiari ac quotidiano usu erat ipsi Virgini, & ad quam fiducialiter cum ipsâ contulit de secretioribus mysteriis nostræ Redemptionis: Unde persuasum illius S. Collegii indignum censuit, ne fortasse tractu temporis ad mortalium vilem usum, transeat ipsa Tabula, ob amorem & honorem S. Virginis, loco & officio digniori deputavit,



deputavit, ut esset ad ipsam reverentiæ ac devotionis occasio omnibus fidelibus posteris, Spiritus S. ductu & gratiâ, fultus arte & manu in eâdem depinxit deliciosam imaginem B. Virginis, semiplenam à capite usque ad lumbos cum infantulo *Jesu*, sinistro lateri matris innixo, quam imaginem commendavit illi benedicto Collegio ad earum consolationem & devotionem: Quam quidem illi digno honore susceperunt, & reverenter custodierunt.

Verificatur hæc relatio, S. Lucam aliquot fecisse imagines, ex religioso amore & zelo versus B. Virginem. Nam & Aquisgrani in Ecclesiâ majori à S. *Carolo Magno* extructâ, & à Christo ipso consecratâ; visitur imago sculpta in lapide ad similitudinem Turris, unius palmi, instar hujus imaginis depictæ, excusa artificiosè, quàm asseritur B. Lucas, amore & devotione Virginis secum ubique detulisse, quæ inter cætera antiquitatum monumenta, magno honore servatur, ac petentibus monstratur Aquisgrani: Sed hæc, quæ est in Czaſtochowa, amœnissimo Regni Poloniae loco est, ex causâ sui ortus, & ratione Tabulæ, in qua depicta est, præstantior, ac plurimis clara miraculis. O foelix Polonia! tam pretioso dotata Thesauro, quàm celebris longè lateque sis in Mariæ beneficiis, gratulare, & Deo gratias redde, ejusque Matri sanctissimæ debitam ac devotam servitutum.

Hæc venerabilis imago in prædictâ domo apud Sanctas Matronas & Virgines in magnâ Veneratione semper fuit, & divinâ pietate ac meritis B. Mariæ, inter everſionem sævissimam Urbis Jerosolymitanæ (quæ successit quadragesimo post passionem Domini anno) tantum effecit, ut nil molestiæ seu violentiæ fenserit illa sacra domus, cum magnâ consolatione inhabitantium, quam Sacram Tabulam, cum aliis pluribus sacris reliquiis in loco secretiori & honesto, cum omni reverentiâ, & sibi invicem succedentes fide dignè referebant illius Tabulæ dignitatem. Secretum tamen hoc apud se esse volebant ad Dei placitam voluntatem, Pax enim beneficio Virginis & Filii, eas oblectabat in reverentia & custodia tanti Thesauri annuente divinâ bonitate.

Tandem B. Helena venit Jerosolymam cum magnifico apparatu, inquirens crucem Domini, quâ cum cæteris armis Passionis Dominicæ inventâ, crescenteque piâ ejus devotione cœpit inquirere, quis esset status, convictus, & exitus Matris Christi? Referunt ipsi Judæi, se ignorare, sed domum illam vetustam denunciant, in quâ Christiani plures habitabant, accessu & aspectu eis terribilem: quam domum B. Helena accedit, sinceraque devotione & cum magnâ reverentiâ, excipitur, sciscitanti-

quæ sibi, de Matre Christi secreta mysteria, summo solatio enarrantes, B. Mariam post passionem sui Filii in hâc domo omnibus diebus, usque ad foelicem in cœlos transitum habitasse, gaudiumque; maximum de apparitione Filii sui gloriosâ, post resurrectionem suam excepisse, & plura alia conferebant secreta. Requisitæ tandem illæ religiosæ sorores, si quid reliquiarum sanctarum ejusdem Virginis haberent: Reverà tantæ authoritatis Reginae, nil occultarunt secundum Dei voluntatem, sed pretiosum Thesaurum aperuerunt, pro consolatione jam solidatæ Ecclesiæ, quem longissimo Temporis spacio religiosè servaverunt. Quæ autem reliquæ ibi fuerint cum hâc sacra imagine, Aquisgranensis major Ecclesia, ut infra, attestatur.

Revolvens animo B. Helena, quæ in illâ domo audivit mysteria, & quàm pretiosum Thesaurum ibi habeant, dignum duxit, ampliandæ Christianæ Religionis causâ, ut Ecclesia in honorem B. Mariæ, lapideo tabulatu fabricaretur. Sic & circa sepulchrum ejusdem Virginis, ac aliis sacris locis, hoc religiosè & sumptuosè perfecit: Sacras Reliquias obtentas filio suo *Constantino Magno*, jam in Byzantio sedem Imperii collocante, detulit.

Hoc præterea memorabile est, quòd ex singulari providentiâ divinâ, ad devotionem Reginae Helenæ, plurimi Christiani, ac milites Generosi, ad honorandum sacras reliquias, veluti antiquitatum Religionis Christianæ monumenta, in Græciam & Bizantium confluxerint, & inde postmodum in excidio, per *Turcas factò*, in alia loca, per devotos cultores Christianæ fidei, sunt translatae. Plures enim Historiæ testantur, Terras olim venerandis reliquiis sanctorum decoratas & refertas, successu temporis, cum in manus infidelium tradendæ erant, justo Dei judicio, propter peccata incolarum, tanto Thesauro salutifero privatas, (legas revelationem S. Hieronymi, quam B. Cyrillus Archi-Episcopus & Patriarcha Hierosolymitanus ad B. scribit Augustinum, quando, quomodo, & ob quam causam sui sacri corporis reliquæ de Bethlehem Romam transportandæ erant) & ante occupationem Terræ Sanctæ per Saracenos, ac Mahometistas factam, sacrae reliquæ miris modis translatae sunt in diversas mundi partes, uti S. Lucas Paduam, ac S. Stephanus Romam. Quoniam dum in Schisma damnabile, & rebellionem, Græca incidit Ecclesia, abominari incepit à Sanctis Dei, imò ab ipso Deo, hinc sacrae reliquæ de Candia, Cypro, & aliis compluribus Græciæ Insulis, Venetias translatae, uti & Paulus primus Eremita, ac S. Joannes Elcemosynarius in Ungariam, (nuper etiam

etiam ante excidium Magdeburgicum, S. Norbertus Pragam.)

mâ cum henevolentia & favore datis muneribus copiosis ad propria redire concessit.

§. XXXIV.

Wie Carolus Magnus gegen die Türken victorisirt.

Hic Carolus Magnus Germanus, defensor Christianæ fidei, & fortissimus expugnator inimicorum Dei, de quo multa & mira leguntur, ob continuas defensiones, Rex Romanorum cum posteris suis declaratus, post primam & diuturnam Terræ Sanctæ occupationem à Saracenis factam, eandem vi armorum strenuissimè recuperavit. Redeunti igitur Carolo Magno de victoriosâ recuperatione Terræ Sanctæ & plurimarum Insularum, cum magnâ potentiâ, & multo comitatu militum, appropinquavit Nicephorus, Græcorum Imperator, simulatè congratulando laudabili zelo, ac victoriæ Caroli, splendido cum apparatu eidem occurrens, & reverenter exoptans, & per Græciam & Dalmatiam applicaret Italiæ.

Summâ igitur magnificentia & alacritate B. Carolus invitatus intravit Constantinopolim, quem, Græcorum Imperator liberalissimè tractavit, ac plura de Thesauro munera eidem donavit, benevolentiam ac favorem ipsius anhelans: divinaque pietate occultius disponente, aperuit quoque Thesaurum reliquiarum in Sacello Imperiali repositarum, liberaliter offerens, quicquid vellet, ex eis sibi vendicaret, ac primò obtinuit venerabilem & decoram imaginem B. Mariæ depictam à S. Lucâ, cum sufficienti descriptione originis ejus, lintheamina de sepulchro Domini, Camisiam B. Virginis, in quâ erat in illâ foelicissimâ hora, quando Christum peperit: duos cingulos, in duabus monstrantiis, Christi scilicet, ac B. Virginis, quos ipsa propriis manibus fecerat: panniculum cincturæ Domini in cruce, coronam spineam Christi, non integram; Lanceam Domini, non modicam partem S. Crucis, (quæ postrema duo per Sigismundum Imperatorem cum gladio S. Caroli Magni Norimbergam translata sunt) lintheamen sanguinolentum, quod substratum fuit capiti S. Joannis Baptistæ decollati in carcere, ne ipsum deturparetur, Herodiadi in disco offerendum: has omnes & plures sacratissimas reliquias S. Carolus Magnus ad suam Ecclesiam Aquisgranensem transtulerat, & tunc securus de Pace Potentiores & Magnates, Magnificosque commilitones diversarum nationum (qui in subsidium recuperandæ terræ sanctæ ad eundem confluerant (su-

Erat quidam præpotens Dux totius Rusiæ, LEO nomine, qui urbem Leow Metropolim Rusiæ extruxit, nomenque suum indidit, Ruthenus & legitimus Hæres ac Dominus, cultu Græcus, vi armorum, potentiâ virium, copiâ thesaurorum, multitudine militum, industriâ bellandi nemini inferior, Poloniæ suis temporibus infestus & onerosus, terram fertilem populosam, paceque fretam possidens; qui magnifico apparatu, & multâ potentiâ, Carolo Magno in subsidium, suis ex partibus venit, accuratissimè & strenuissimè bella gerens, Paganos & Saracenos animosè expugnando, ac præ cæteris charissimus Carolo Magno habebatur, pro tantâ animi industriâ, & militiæ ac virium potentiâ, cum itaque ad ejus dimissionem ac reditum perventum est, Carolus Imperator, summâ animi hilaritate ipsi Duci, præ aliis, liberalitatem favoris aperuit: *Quid, inquit, pro tuâ in nos fidelitate, prudentiâ, ac militia strenuitate muneris, ô Princeps, reddemus; Non erat ipse Dux thesauri cupidus, sed auditâ Cæsaris liberalitate, demissâ cum reverentiâ respondit: Non auri, argenti, gemmarum, quarum copia mihi est, cupidus sed solâ imagine hâc B. Virginis venustissimâ pretiosissimâ, desideratissimâ remunerari precor: Tacente Cæsare, instat importunè, genibus in terrâ fixis.*

Vicit humilis instantia, & merita militiæ: obtinendo, quod postulat, gratias agens Deo, & Virgini Mariæ, ac Cæsareæ liberalitati, sed & à cæteris Magnificis Commilitonibus, quibus omnibus extiterat charus, pro suâ animositate, multa thesaurorum munera suscepit. Unde Tabulam venerabilem cum summâ reverentiâ acceptans, laminis aureis, & gemmis pretiosis ab anteriori parte adornavit, à tergo laminis argenteis totam obduxit, valedicens dehinc omnibus Tabulam quadrigâ ornatisimâ conduxit, in patriam, multo milite munitam, usque ad locum destinatum, cumque idem Dux ipsam venerabilem imaginem in castro Belsz secretius teneret, sacerdotibus Græci ritus commendans, Ruthenis solum accessum pandens, sine vitæ suæ mulctatur, hærede successore orbatus. Eam ob rem Casimirus Rex Poloniæ, morâ non admittens, Rusiam dudum Polonis rebellantem, forti Marte aggreditur, & ipsam Regno Poloniæ subactam recuperat: præter quinque munitas arces, in quarum unâ Belsz nuncupata, hæc imago venerabilis tenebatur.

Rege Casimiro obeunte, sine successore legitimo, Magnates Polonorum, nuncios dirigunt ad Regem Ungariæ, Ludovicum I. consanguineum defuncti Regis Poloniæ, obnixè & instanter sup-



ter supplicantes, ut & Regni Polonia coronam susciperet, prout victus precibus, acceperat, (§. 26.) cum verò expositi difficultati duorum Regnorum curam premeretur, ne negligentia vel absentia Regno Poloniae iacturam pareret: Ladislaus Ducem Opoliensem sibi natu propinquum huic Regno Gubernatorem praefecit, obedientiam omnibus Reg. in Baronibus & incolis demandans.

Idem Dux gubernandi & tuendi Regni Poloniae curam susceptam, persuasus ab Optimatibus, ut Russiam noviter acquisitam accersiret, & reliqua, castra, de quibus paulò ante, rebellantia subjugaret, illa animosè devicit, cumque ibidem Thesauros revideret, in castrum Belsz veniens venustissimam imaginem Virginis Mariae multo thesauro ditatam reperit, ubi aliquantulum demoratus, ipsam imaginem de imo loco, in altiori penetrabili, reverenter pro majori devotione collocavit: paucis comitatu familiae circa se relicto, alios hinc inde ad negotia gubernandi regni dimisit, quod intelligentes Lithuani & Scythi, multis copiis coadunatis Russiam aggrediuntur, castrumque Belsz vi armorum oppugnant.

Tantum infortunium Dux Ladislaus non suspicatus, cum paucis in arce consistens, & se minorem viribus agnoscens, precibus intimis ac lachrymosis ad Turrim confugit Fortitudinis, solotenus prostratus ante aram imaginis, lachrymabiliter efflagitat subsidium Mariae Virginis: in Hostis vehementi affatu accidit, ut unius sagitta emissà de arcu, in penetrabile, ubi imago venerabilis erat, accito volatu impexit in guttur imaginis, ibique fixa mansit. Nec mora, tali vulnere infucto, nebula densissima & tenebrosa aciem hostilem in obsidione operuit, & exterruit, ut cum magnis clamoribus & ululatibus fugam properarent. Dux persentiens Numen Benedictae Virginis, gratissimo animo se eidem commendat, & signo Crucis se muniens, cum paucis à castro exsilit, hostes insequitur, cædit, eviscerat percussos & plures captivat, quos in Ungariam ad Regem Ludovicum I. transmittit, victoriam ex oratione recensens, utque eandem imaginem de Russia in Opolium hæreditatis suae transferret, Regi persuasit, ne hostili incurfu ipsam perire aut violari contingat, cui pius Rex Ludovicus annuit. votisque ac precibus congratulatus est huic victoriæ.

Et quoniam scriptum est, Dominus dissipat consilia gentium, reprobaturque cogitationes & consilia Principum: dum prædictus Dux Ladislaus allaboraret, cum favore Ludovici I. Regis Ungariæ & Poloniae, ut ipsa sacratissima imago de Russia in Opolen transferatur, nullo modo de loco moveri potuit; admiratus idcirco, & attonitus Dux orationi se dedit solotenus ante aram Virginis,

cum lachrymis prostratus, in qua, cum prætristitiâ aliquantulum obdormisset, edocetur, imaginem hanc de voluntate Dei, & Virginis benedictæ, in claro & amœno monte locandam, ad perpetuum cultum ejusdem Virginis, non longè à castro Olsztyn inter vastissimas terras.

Evigilans itaque Dux, alacrior effectus, oraculo edoctus, & voto annuens divino, reverenter ac sine impedimento sacram suscipit imaginem, *plastro imponens ornatissimo*, cum multis aliis Græcæ picturæ Tabulis, & in montem clarum & amœnum deduxit, Fratresque Eremitas S. Pauli noviter tunc à sede Apostolicâ confirmatos, *de Ungariâ properè advocans*, ad perpetuam custodiam hujus pretiosæ imaginis, ac devotum obsequium sacratissimæ Virginis, deputavit, & competenter dotando, & privilegiando, pro inviolabili loci illius possessione, Hymno desuper à se composito: *Micat Stella matutina radiis beneficiorum, rutilat vernans Rosa odore miraculorum, de montis diverticulo fragrat odor Balsami per sanitates infirmorum. Non est morbus, quem non curet, dum morbosum non obduret tarda diffidentia. Te precamur precipiâ, Dei nostri parens Maria, dirige nos in hac viâ, ne erremus aut pereamus, sed feliciter transeamus ad aeterna gaudia, & laudemus nomen tuum in sæcula.*

Annunte igitur divinâ clementiâ Translatio hæc foeliciter successit, quamvis quondam Silesia fuit portio hæreditaria Regni Poloniae, sed iam proceres Regni, cum Christianissimo Principe nuper ad fidem Catholicam converso Ladislaeo Jagello Lithuano, consilio inter se habito, occasione hujus imaginis, compositionem amicabilem cum Duce Opoliensi fecerunt, & congesto multe pretio, castrum Olsztyn, & montem hunc, pluraque alia castra per resignationem juridicam Ducis Opoliensis, in sortem Regni Poloniae obtinuerunt.


Tempore illo calamitoso ac acerbis pleeno, quo Religio Bohemæ, hæreticâ Husitarum pravitate, labefactata est, plurimi mortales ferro occubere, diversisque ærumnis religiosi affecti, & multa Monasteria eversa sunt, (quod verendum est, ne sub hac Tempestate, Epicurei, & solummodo pompis, luxui, ac dissensionibus dediti sæculi, eadem ærumnâ à Turcis infligantur, irato Deo, atque tanta flagitia justè vindicante; prout olim valido Husitarum Tumultu, tota major Silesia igne, ferro, cædibus, damnisque truculenter affecta fuit) illudque Monasterium S. Mariae in claro monte, ubi hæc venerabilis imago asservatur, repente ac improviso invaserunt, Monachis fugientibus, hostes claufuras infringunt, quid intus sit, perlustrant ac diripiunt, quoque imaginem hanc pretiosam auro,



auro, argento, & gemmis divitem, extra facellum & oratorium efferunt, Thesauro inæstimabili spoliant, nudatam Tabulam tripartitè infringunt, faciemq; crudelibus sputis deturpant, fugam verò accelerantes, *Deo interim ulciscente violentiam* ac irreverentiam suæ Matri inflictas, hinc inde, *subitâ morte occumbunt*. Hoc exemplo territi, discant Politici athei, imagines sacras venerari, & hos, quos vobis repræsentant, invocare, ne similis ultio divina eos corripiat, malè semper consulendo, & agendo.

Monachi itaque post tam sævum hostium necem à Deo illatam, ad Monasterium redeunt, Tabulamque fractam ac laceratam sustollunt, Cracoviam cum eadem properant, & *Uladislaw Regi* de bello Pruthenico reduci, vim hostis lachrymosè querelantur. Rex pius compatitur, imaginem Senatui Magnifico Cracoviensi committit in Prætorio custodiendam, quoad reparatur. Mox à Pictoribus præcipuis, Tabula reintegratur, laceræque imagis colores magistraliter coaptantur, sed stigmata faciei nullâ industriâ deleri potuerunt. De Thesauro autem Regiæ Majestatis, auro, argento, & gemmis adornatur, atque Monachis imago hæc restituitur, quam miles Regius, & Senatus Magnificus, cum compluribus aliis opulentioribus, reverenter ac processionaliter ad Monasterium reportarunt, Virgini benedictæ se nunc, & in hora Mortis devotissimè commendantes: *Hæc omnia per insignem Heroem Nicolaum, laudatissimæ Familie, Comitum de Lantskronsky, Equitem Melitensem, Constantinopolim missum sub Sereniss. Rege Sigismundo Primo, fideliter dicto Monasterio sunt communicata, & in ejus Archivio authentico recondita. Unde hæc copia extracta est.*

Notatu verò dignum quod ad intercessionem Magnæ Matris, non modò Turcas, ab hoc Regno frequenter constet esse repulsos, sed & Svecos anno 1657. in longâ obsidione hujus Monasterii Zastochwa, sub Duce Saxonie Laurenburgico Francisco Erdtmanno, nil omninò efficere potuisse.



§. XXXV.

**Wer unter den letzten Römischen
Kaisern über die Türcken triumphiren werde.**

Disce Viator Opem, Disce Virtutem.



ERD. III. Augustus, Augusti II. Filius Rom. Imp. Germ. Hung. Bohem. &c. Rex. Archidux Austriae. Gemma-
tus orbis oculus, cum vitâ dudum virtutem haurire cœpit.

Sceptris addictus, *Pietatem & justitiam* Thronis præfecit, quælibet pro Subditorum salute, pericula subiturus; Victrici primùm & faustâ manu pugnans, dein adversâ diu forte laborans, armis dolisque petitus, perstitit incude tollerantior, dum leni Pace populos bearet. Inde Regnorum Firmamenta statuens, *virtutem adauxit*, Ardore fidei, Vigore Spei, Flagrantia Charitatis, Decore Pietatis, Prudentiæ Normâ, Justitiæ formâ, laborum serie, deliciarum temperie, totâ demum Perfectione; *Regnis ac Regibus in Exemplum luxit*. Nec minùs Austriae Propagini concessit. Nam tribus Augustis è Conjugibus, *Mariâ* Hisp. *Leopoldinâ* Oenip. & *Eleonorâ* Mantuanâ, Tres Orbi Filios, (Leopoldum, Carolum, Ferdinandum V.) totidemque Filias post se reliquit; Sereniss. Mariæ Proles ad Thronos evexit, Filium quidem *Leopoldum I.* Hungariæ & Bohemiæ Regnis præstituens: *Mariam* verò *Annam* Hispaniarum Regi nuptui tradens; alios itidem tres Filios, (Ferdinandum IV. Rom. Regem, Philippum Augustinum, & Maximilianum Thomam) binasque Filias, Cælo præmisit, ut binas inter Conjuges, Quinasque Proles, ipse Octoadem impleret.

Quò avocatus abiit è terris Anno MDC LVII. Mens. Aprilis die II. ætatis annos habens XLVIII. Menses IX. dies XX. Postquam Imperii Clavum tenuisset Annis XX. Men. I. Dieb. XVIII; Regiminis Arbitrum in grande solatium Sereniss. Regi suo Filio adjunxit, Germanum Fratrem unicè sibi charum, LEOPOLDUM GUILIELMUM Archiducem, Togâ Sagoque probatissimum.

Præfagia, quod ab Austriaco tandem vincetur Turca,

Juxta Joann. Carion. Chronic. lib. 3. de Orig. Turcar.

LEOPOLDUS Dei gratiâ, Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae, Slavoniæ &c. Rex Archidux Austriae.

Litterarum Synonima conversio.

Exurget Laureâ Monarcha juvenis, amatâ Pace domi, arma gloriæ exeret ad avaras oras Gog, (sub Gog & Magog Turcæ intelliguntur. Ezechiel cap. 38. Apocalyp. 20. Cap.) Hic *consilio & Industriâ* redimet Templum Sophiæ: Verba vera.

Summi Pontifices, qui egregiam tum fœdere, tum nervo belli præstiterunt operam, contra invasiones Turcarum, Calixtus III. Borghia I. Sixtus IV. Urbanus II. cum Duce Buglioni, & aliis Principibus, Terram Sanctam recuperant.

